quæ intra Monasteria exempta cum educandis morantur, & habitant, quia ratione loci sunt liberæ ab Ordinarii jurisdictione : *v. n.* 1450. & 3197. Donatus *tom. 3. tr. 5. qu. 33. num.* 2. & facta ab Ordinario reservatione alicujus casus ad clausuram spectantis, certum est non posse Prælatum Regularem ab illo suam subditam absolvere.

Denique dispositio, & restrictio facta à Clement. VIII. super casuum reservatione, relata *n.* 3301. solùm locum habet pro Monialibus Prælatis Regularibus subjectis, minimè pro subjectis Ordinario ; quia Prælatis regularibus est directa. Pelliz. *cap.* 10. *à num.* 45.

NOVITIOS

3437 NOn comprehendi (ait Sieri de Sacramento Pænit. *n.* 779.) à reservationibus Religionis, quia in odiosis non sunt subditi ; sic communis contra Peregrinum & Laym. *lib.* 4. *tr.* 5. *cap.* 4. & quamvis ex quodam vivæ vocis oraculo Pauli V. 5. Augusti 1609. concessum fuerit superioribus Regularibus, ut possint reservare peccata etiam Novitiorum, hoc tamen privilegium non viget, quia ab Urbano VIII. revocata fuere omnia oracula vivæ vocis.

QUÆRES I.

3438 *An Prælati regulares possint suos subditos absolvere ab excommunicatione contra abortum procurantes* à Sixto V. *inflicta : Insuper ab excommunicatione, & suspensione contra simoniacè promotos ad Ordines, ab eodem Sixto fulminatis?*

VIdetur, quòd non, quia Sixtus V. ea reservavit Romano Pontifici, expressè comprehendendo in reservatione etiam superiores Regulares in ordine ad subditos.

Respondeo posse. Rodr. *in Comp. res.* 3. *n.* 7. Port. *v. Prælatus n.* 29. Pro quo si es curiosus, scias, quòd Sixtus per Bullam 77. *Effrenatam*, 29. Octobr. 1588. tulit excommunicationem latæ sententiæ contra procurantes abortum fœtus, sive animati, sive inanimati, effectu secuto & contra cooperantes ad illum consilio, favore, portione, aut alio modo ; quam censuram reservavit soli Romano Pontifici, comprehendendo etiam superiores Regulares in ordine ad suos subditos. Greg. verò XIV. per Bullam 8. *Sedes Apostolica*, 31. Martii 1591. moderavit rigorem Bullæ Sixti, & proinde abstulit censuram contra procurantes abortum fœtus inanimis, & eam reliquit contra procurantes abortum fœtus animati, concessit tamen Episcopis, ut possint in foro conscientiæ ab hujusmodi peccato & censura absolvere per Confessarios sive Sæculares, sive Regulares ad id deputatos ; at id non concessit Superioribus regularibus, unde quoad hoc non fuit revalidatum privilegium à Sixto V. extinctum.

3439 Posteà verò recensita privilegia fuerunt innovata, & in pristinum restituta à Clement. VIII. qui per Bullam 51. *Ratio Pastoralis Officii*, 20. Decembr. 1667.

Ex certa scientia confirmavit, & in pristinum statum restituit omnia privilegia trium Ordinum S. Francisci utriusque sexus, tam propria, quàm per communicationem inter se, & cum aliis Ordinibus mendicantibus, & non mendicantibus, per suos prædecessores Pontifices eis concessa ; *in iis omnibus, in quibus decretis* Conc. Trident. non adversantur. Confirmatio autem ex certa scientia (ait Rodr. *in Comp. res.* 3. *n.* 8.) revalidat invalidum, & revocatum, habetque vim innovationis, *cap.* 1. *de transact. c. quoties, de pactis.* Ex quo concludit Rodr. *cit.* Superiores Regulares posse hodie suos subditos utriusque sexus de hoc peccato & censura absolvere etiam in foro externo. Bord. *tom.* 3. *res.* 13. *n.* 19.

3440 Super irregularitate ex abortu fœtus animati dispensare non possunt ; quia est ex homicidio voluntario injusto, adeòque est exceptuata à Sixto IV. *ut in n.* 3380.

3441 Bord. autem *cit. n.* 14. Rodr. *in Comp. res.* 52. *n.* 26. Port. & Pelliz. *tract.* 9. *cap.* 3. tenent posse Prælatos Regulares cum suis subditis pro utroque foro dispensare, etiam in tribus irregularitatibus à Sixto IV. exceptis, videlicet homicidii voluntarii injusti, bigamiæ, & mutilationis membrorum : idque in virtute Privilegii Pauli III. per Bullam 12. *Exponi nobis*, 12. Martii 1645. apud Bullarium Rodr. *pag.* 376. Generali, Abbatibus, Prioribus, & Præsidentibus Ordinis S. Benedicti Vallisoleti concessi, & per communicationem cæteris Prælatis Regularibus, Generali, Provincialibus, & Guardianis, concessi, ut sequitur.

(Nos igitur, qui singulorum salutem paterno zelamus affectu, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis quòd stante immemorabili consuetudine hujusmodi, etiam de cætero perpetuis futuris temporibus singulis annis prima die Lunæ Quadragesimæ hujusmodi omnes, & singulas utriusque sexus personas Ordinis, & Congregationis prædictorum Religiosas, ac ejusdem Ordinis, & Congregationis, oblatas, seu donatas, nec non Eremitas sub cura vestra existentes intra septa vestrorum, seu ipsorum pro tempore absolvendorum Monasteriorum, seu aliorum Regularium locorum, ab omnibus, & singulis eorum peccatis, sententiis, censuris, & pœnis per eos pro tempore quomodolibet incursis, etiam in casibus dictæ sedi quomodolibet reservatis, exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi, absolvere, & cum eis super quibusvis irregularitatibus per eos pro tempore quavis occasione, vel causa contractis dispensare, prout hactenus, ut præfertur, consuevistis, dicta auctoritate valeatis, plenam, & liberam eadem authoritate tenore præsentium concedimus facultatem.)

Quod privilegium nullam irregularitatem excipit ; nec ei opponitur (ait Pelliz. *cit.*) exceptio facta à Sixto : quia usus privilegii Sixti est pro toto anno ; Pauli verò est limitatus ad unam solam diem anni, & ideò est concessus amplior, eo fine, *ut majori cum animi hilaritate, & serenitate Altissimo famulari possint* : hinc sententiam probabilem, & tutam in praxi vocat Diana *p.* 4. *tr.* 2. *res.* 63.

3442 Insuper Sixtus V. per Bullam 91. *Sanctum* 5. Januar. 1588. tulit censuram suspensionis contra malè promotos ad Ordines, & sic promoventes contra Decreta Conc. Trident. per saltum, sine titulo, furtivè, ante ætatem, &c. & ultra suspensionem, tulit excommunicationem contra simoniacè promotos, & promoventes ad Ordines etiam minores, aut ad tonsuram ; quas censuras pariter reservavit Romano Pontifici, comprehendendo etiam superiores Regulares in ordine ad subditos.

3443 Quem rigorem moderavit Clemens VIII. per Bullam 40. *Romanum Pontificem* 28. Febr. 1595. quatenus Bullam Sixti, & ejus pœnas reduxit ad terminos Sacrorum Canonum, ad Decr. Trident. & ad Constit. 3. Pii H. *Cùm ex Sacrorum Ordinum*, 17. Novembr. 1461. qua statuitur, ut qui extra tempora, aut ante legitimam ætatem, vel absque dimissoriis, *ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri, à suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint ; & si hujusmodi suspensione durante, in eis Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant*, & nulli reservat. Decreta Trid. de hac materia sunt *sess.* 7. *de ref. cap.* 10. *sess.* 21. *de ref. cap.* 1. & 2. *sess.* 23. *de refor. à cap.* 3. *ad* 17. ubi vide suspensiones, quæ reservantur.

3444 Licèt autem Clemens VIII. censuras, & pœnas, quoad alios defectus sic moderaverit, suspensionem, & excommunicationem contra simoniacè ordinantes, & ordinatos à Sixto inflictas voluit in suo robore permanere.

3445 Quia tamen idem Clem. VIII. posteà anno 1597. privilegia antiqua, ut jam dictum est *in n.* 3439. innovavit, sequitur, ut Prælati Regulares possint hodie suos subditos à dictis censuris absolvere, uti de abortu dictum est, & multo magis à simonia commissa in collatione officii, seu beneficii, Rodr. *cit.* & Port. *verb. Prælati potestas ad absolvendum.*

QUÆRES II.

3446 *An Religiosi possint confiteri, & à reservatis absolvi extra Ordinem?*

REsp. posse. 1. In articulo, seu periculo probabili mortis. 2. In casu necessitatis, puta si reperirentur in terris infidelium, aut urgeret necessitas celebrandi, & Confessarius proprius non adesset.

3447 Itinerantes confiteri possunt Sacerdoti extra Ordinem de licentia sui superioris, quam licentiam in nostra Religione dare potest Guardianus ex concessione Capituli Generalis *in stat. cap.* 7. §. 1. *n.* 5. ubi generaliter dicitur : *Nisi eligendi Confessarium generalem habuerint à superioribus facultatem.* Nomine autem Superioris, & Prælati venire Guardianum, certum est ex iisdem *stat. num.* 1. & ita servari in praxi, docet Melphi *in stat. c.* 7. *stat.* 1. *n.... q.* 6. qui ritè ponderat grave fore, si Religiosus, ubi Provincialis non est, licentiam hanc à Provinciali petere teneretur.

3448 Hæc licentia sufficit si sit generalis, aut tacita, seu præsumpta ; imò implicitè continetur in ipsa licentia itinerandi. Melphi cit.

3449 Religiosus autem itinerans non potest eligere Sacerdotem simplicem, nisi ad id habeat specialem licentiam sui superioris, qui quidem potest pro suis subditis sacerdotem simplicem extraneum approbare. Vel nisi deficiat extraneus approbatus ; quia tunc potest eligere simplicem ex præsumpta licentia sui superioris. His seclusis casibus, Sacerdos extraneus, si sit sæcularis, debet esse approbatus ab Ordinario loci ; si Regularis, sufficit, si sit approbatus à proprio Prælato Religionis, quia Trid. in Decr. requirente approbationem Episcopi, non inclusit Religiosos, ut advertit Tamb. *tom.* 1. *pag.* 33. *n.* 17. & Port. *verb. Confessor. n.* 14.

3450 Nec potest ab extraneo absolvi à reservatis, nisi habeat expressam licentiam à suo Provinciali pro illis ; vel nisi habeat ab eo auctoritatem passivam, ut absolvatur ab illis. In casu autem necessitatis pro reservatis discurre juxta regulas generales *de n.* 3354. *ad* 3371.

3451 Hinc Port. *cit.* infert, quòd si duo Fratres

tres Sacerdotes simplices itinerent, non possint ad invicem confiteri, nisi expressam ad id habuerint licentiam sui superioris, quam licentiam fatetur eis ex epikeja dare posse Guardianum, si discedant è Conventu, ubi non est Provincialis.

3452 Port. *cit. num.* 13. refert Priv. Martini V. Patribus S. Hieron. *ut existentes extra Conventum possint eligere Confessorem secularem, vel Regularem; qui eos absolvat in omnibus casibus, à quibus absolvi possunt existentes in Monasterio.* Non conceditur autem absolutio à reservatis Prælatis Ordinis.

3453 In nostra Religione Confessio Religiosi Reformati facta cum Confessario Observante, aut è converso, est valida, si Confessarius sit à Generali approbatus: quia Observantes, & Reformati formant unum corpus sub uno capite; unde diversas constituunt Provincias ejusdem Religionis.

3454 Invalida est, si Confessarius sit approbatus à suo solo Provinciali (nisi Religiosus Pœnitens sit hospes, aut itinerans) quia Religiosi unius Provincialis non sunt subditi alterius Provinciali; & quia jurisdictio non extenditur in non subditos, facultas delegata, quam habet Confessarius ab uno Provinciali, non extenditur in subditos alterius.

Eadem ratione Confessarius unius Provinciæ, si ad aliam accedat, non potest ibi confessiones excipere: sed illius Provincialis approbatione indiget.

3455 Valida autem est, si Provincialis Reformatus pro suis Confessarium Observantem approbet, & è converso; Provincialis enim potest (spectato jure communi) Sacerdoti externo, tam Religioso, quàm sæculari, concedere, ut sui Religiosi Confessiones excipiat, quia respectu suorum subditorum habet jurisdictionem quasi Episcopalem, Sieri *de Sacr. Pœnit. n.* 773. & Melphi *in Com. cap.* 7. *statut.* 1. *qui q.* 10. in fine subditi.

3456 (Excipio casum fortuitum, cujusmodi esset, si quis ex familia S. Francisci, vel S. Petri in Monte aureo, ob negotia ad Aracœlitanum Conventum accederet, & ibi celebrare vellet, vel quid simile; tunc dico, licitè, & validè confiteri. Hoc enim in praxi videmus fieri ex utraque parte. Lege Candidum 2 *part. disp.* 24. *art.* 57. *dub.* 3. qui docet, posse ex privilegio hospites etiam alterius Provinciæ confiteri, & absolvi à reservatis, si Confessarii talem facultatem habeant.)

DE POTESTATE CONFESSARIORUM REGULARIUM QUOAD SÆCULARES, ET EXTEROS.

3457 Certum est in jure communi, cui accedit consuetudo, non dari casus reservatos Episcopis; sed illos solos eis reservari, quos ipsi in propriis respectivè diœcesibus sibi reservant, Vidal. *pag.* 52. cum Com. Hoc præmisso.

3458 Dico eos absolvere posse in foro interno conscientiæ ab omnibus casibus, & censuris reservatis Papæ; exceptis contentis in Bulla Cœnæ, & intra Italiam, extra Urbem exceptis aliis sex, de quibus infrà *num.* 3473. insuper exceptis casibus reservatis Episcopo in suis respectivè diœcesibus, Peyr. *tom.* 1. *de subdito, in appendice quæst.* 4. *cap.* 10 *pag.* 174. *Item in tom. Privil. in constit.* 6. Julii II. *& in constitut.* 6. Pii V. Donatus *tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 4. *quæst.* 33. Rodr. *in Comp. ref.* 3. *à num* 36. Port. *ver. Confess. num.* 22. Vidal. *pag.* 64. Joan. la Crux *de Privileg. l.* 2. *c.* 7. *dub.* 1. *& Com. v. n.* 3492.

3459 Constat ex privilegio Societatis, in quo quidem communicant omnes Regulares, concesso à Paulo III. per Bullam 7. *Cum inter cunctas*, 3. Junii 1545. apud Bullar. Rodr. *pag.* 370. his verbis.

(Nec non illis ex Vobis, qui presbyteri fuerint, quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium ad vos undecumque accedentium Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis, ipsos, & eorum singulos ab omnibus, & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi) absolvendi, ac pro eis commissis pœnitentiam salutarem injungendi: nec non vota quæcumque per eos pro tempore emissa (ultramarinis visitationis liminum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum de Urbe, ac S. Jacobi in Compostella, nec non Religionis, & Castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi &c. plenam, & liberam facultatem, authoritate Apostolica beneplacitum concedimus.

Non obstantibus quibusvis constitutionibus &c. & litteris Apostolicis etiam per Sixtum IV. in Capitulo: *Et si Dominici*, & alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & sedem prædictam etiam consistorialiter editis, &c. quibus, &c. expressè derogamus:) *v. n.* 3397.

Præ-

3460 Præmissæ particulæ: *auditis eorum confessionibus*: intelligendæ sunt secundùm juris dispositionem, videlicet ut absolutio à peccatis fiat in Sacramentali Confessione, à censuris verò fieri possit extra illam. Rodr. modò citandus.

3461 Et quia in præmisso Privilegio nulla fit limitatio, Rodr. *in Comp. ref.* 3. *n.* 36. concludit, posse Regulares absolvere Sæculares & exteros utriusque sexus ab omnibus casibus etiam Papæ reservatis, occultis, aut publicis, nec non à quibusvis censuris, tam è jure, quàm ab homine, etiam specialiter, & nominatim latis, dummodò partis satisfactio fiat, aut detur sufficiens cautio de satisfaciendo; *ut à n.* 3364. & pro utroque foro, quod firmat ex quadam Declar. Pii V. de anno 1568.

3462 Hæc autem doctrina Rodr. quantum ad excommunicatos nominatim, & quantum ad utrumque forum, non subsistit.

Et quidem nominatim ab Episcopo excommunicatos non posse absolvi, constat, quia regulariter hujusmodi excommunicationes Episcopi sibi ipsis reservant, ut videri potest in formulis; & à reservatis Episcopis Regulares non valent absolvere ex tot Bullis Pontificiis, & Decretis relatis 3407. & 3413. maximè ex Bulla Clem. X. *Superna n.* 3295. §. 6. Hinc damnata fuit ab Alex. VII. propositio affirmativa: *ut in prop.* 12. *pag.* 2.

3463 Quia regula illa, *majori concesso, intelligitur quoque concessum, quod minus est*, non habet locum, quando minus est separabile à majori, in majori non continetur, & insuper prohibetur.

3464 Præterea adest Bulla 115. Clem. VIII. *Quæcumque* 7. Decembr. 1604. *quæ in* §. 9. loquendo de Confessariis Regularibus erga sæculares habet:

(Ac ab aliis etiam casibus, tam à Nobis, quàm à prædicto nostro in Urbe Vicario, & locorum Ordinariis respectivè reservatis, & pro tempore reservandis, & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata absolvere & super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu provenientibus, quàm occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare, prætextu dictorum privilegiorum nullo modo possint) Tamb. *tom.* 2. *de casibus reserv. cap.* 11. §. 2. ait quòd, si rationabilis sit causa, puta si Episcopus nimis distet, aut licentiam neget, tunc nominatim excommunicatus possit pro foro interno absolvi, si sit dispositus, & per ipsum non stet, ut pro foro externo à suo Prælato absolvatur: ita ille.

3465 Item falsum est, quòd absolutio à censuris possit à Regularibus dari etiam pro foro fori. Ex ipsis namque verbis Privilegii Pauli III. *Confessionibus auditis*, & *pœnitentiam salutarem injungendi*: satis constat, potestatem amplam absolvendi esse datam solùm pro foro interno conscientiæ, & nolle Pontificem hujusmodi delinquentes à judicio externo, & pœna juridica liberare.

Cui accedit praxis, & observantia.

3466 Nec juvat declaratio Pii V. qua Rodr. id probat; quia puto eam comprehendi in revocatione facta à Gregor. XIII. *In tanta*, ut liquet ex dictis *à num.* 3401. *ad* 3404. & ritè, quia absolutio pro foro externo, quoad alienos subditos, præjudicat potestati Ordinarii proprii, & Judicis, ad quem spectat causæ cognitio: non sic absolutio solùm pro foro interno conscientiæ; hæc namque (ut advertit Donatus) non ligat manum Judicis; non enim impedit processum, nec retardat actum justitiæ, nec tollit jus tertii; quia quoad forum judiciale non censetur absolutus, ut dictum est *n.* 3315. hinc absolutus in foro conscientiæ, est absolutus coram Deo, non coram Ecclesia.

3467 Id solùm verum est, quod docet Diana *part.* 1. *tract.* 11. *quæst.* 26. cum multis, *quòd Judex contra ita absolutum per Bullas (supple tu, vel per privilegia) non tenetur procedere, unde si velis esse benignus, potest acceptare hanc absolutionem etiam pro foro exteriori, & repellere accusationem fiscalis acusantis illum, vel in ferenda sententia temperare rigorem, & pœnam.*

3468 Corroboratur meæ assertio ex aliis amplissimis Privilegiis Jubilæi, & Bullæ Cruciatæ, in quibus quidem datur ampla facultas absolvendi ab omnibus casibus, & censuris à jure, vel ab homine, occultis, aut publicis, Sedi Apostolicæ, aut Episcopis reservatis, in solo tamen foro conscientiæ, ut maximè liquet in amplissimo Jubilæo contra Turcas edito à Clem. X. §. 9. 1672. *Inter gravissimas*, & Decl Urb. VIII. relata pro Bulla Cruciatæ *in n.* 3406.

3469 Denique omne tollit dubium Clem. X. per Bullam, *Superna* §. 6. quam refero *in num.* 3295. Omninò vide ibi, ubi nostra assertio præcipitur, & irritum declaratur oppositum.

3470 Pro foro igitur interno conscientiæ, & exclusis excommunicationibus ab homine latis, firma & valida sunt nostra Privilegia quoad sæculares, & exteros; atque in suo robore remanet Privilegium Pauli Tertii, quod numquam fuisse revocatum, imò fuisse confirmatum, constabit perlegenti Bullas, & Decreta, tam revocativa, quàm confir-

mativa Privilegiorum, *à numer.* 3400. *ad num.* 3422.

Imò semper fuisse in usu, ut tradunt Doctores *cit.* & Peyr. *in const.* 6. Julii II. *n.* 21.

3471 Non obstat Decretum S. C. Episc. & Regul. jussu Clem. VIII. editum 9. Januar. 1601. quod præcipit cuilibet Confessario sæculari aut Regulari extra Urbem intra Italiam degenti, ut nullus sub prætextu privilegiorum audeat absolvere à casibus in Bulla Cœnæ contentis: *Vel aliàs quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis.*

Non obstat, inquam, quia prædictum Decr. ob dubia, & difficultates à Regularibus inde exposita, fuit anno sequenti 26. Novembris 1602. moderatum per aliud Decr. ejusdem S. Congr. jussu ejusdem Clem. VIII. editum, ut sequitur: apud Peyr. *tom.* 1. *cit. pag.* 175. Donatum *tom.* 2. *tract.* 11. *q.* 17.

3472 (Cùm autem dubia quædam, ac difficultates, circa ejusdem Decreti interpretationem, atque observationem, emersissent, eadem S. Congreg ne ullus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitative locus relinquatur, & ut clariùs appareat, in quibus casibus vigore ejusdem decreti reservatis, intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato ejusdem S. D. N. Clementis Papæ VIII. similiter vivæ vocis oraculo, super ea re habito, ipsum Decretum ita moderatur, & declarat, videlicet, sub ejusdem prohibitione illos tantùm in posterum comprehendi casus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur.

3473 Ac præterea. 1. Violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis Bullæ Gregor. XIV. 2. Violationis clausuræ Monialium ad malum finem. 3. Provocantium, & pugnantium in duello, juxta Decr. Conc. Trident. & Const. Greg. XIII. incip. *Ad tollendum.* 4. Injicientium violentas manus in Clericos, juxta Canonem: *Si quis suadente diabolo* 17. *qu.* 4. ac juris dispositionem. 5. Simoniæ realis scienter contractæ. 6. Atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt, vel in posterum reservabunt.

In quibus omnibus jam enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi Confessiones, eadem S. Congr. vult, & mandat, dictum Decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere.

Ac præterea declarat, eos quidem Sacerdotes, tam sæculares, quàm Regulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis, & facultatibus in supradicto Decreto expressis, suffulti fuerint, posse juxta eorum privilegia, indulta, & facultates, usu ante idem Decretum receptas, & quæ sub aliis revocationibus non comprehenduntur, tantùm, & non alias absolvere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis, &c.)

3474 Ex quo Decreto firmiter concluditur, Privilegium Pauli III. remanere in suo robore, in quo quidem erat ante recensitum Decretum de anno 1601. quoad omnes casus Papæ reservatos, exceptis contentis in Bulla Cœnæ, reservatis Episcopis, & aliis dumtaxat sex relatis. Constat tam ex exceptione in Decreto facta, quoniam exceptio firmat regulam in contrarium, quàm ex positiva confirmatione potestatis quoad alios casus.

3475 Hoc tamen discrimen est omninò observandum, ut à 20. casibus reservatis in Bulla Cœnæ Regulares absolvere non possint nec intra, nec extra Italiam; quia reservatio Bullæ Cœnæ est facta pro toto Orbe Christiano. Idem dic de casibus reservatis Episcopis, ut constat ex Bulla Clem. VIII. *relata num.* 3405. lata pro toto Orbe Christiano ex Decr. Urb. VIII. 17. Nov. 1628. relato *in num.* 3414. *& in prop.* 12. damnata ab Alex. VIII. A reliquis verò sex casibus à Clem. VIII. reservatis, relatis in *n.* 3473. non posse intra Italiam, & extra Urbem, posse verò in Urbe. & extra Italiam, ut declarat ipsum Decr. Clem. Item in suburbiis Urbis, Bord. *tom.* 2. *res.* 6. *num.* 12. quia in favorabilibus termini sunt ampliandi; unde nomine Civitatis veniunt suburbia.

3476 Idem docent Bord. *cit. num.* 13. & Diana *p.* 3. *tr.* 2. *res.* 131. in Insulis Siciliæ, Sardiniæ, & Corsicæ; quia Geographi, & Historiographi has Insulas non connumerant cum partibus Italiæ; & Pontifex, quando edit Constitutionem pro Italia, & vult Insulas comprehendere, eas exprimit similibus verbis: *etiam quoad insulas coadjacentes*; quod non facit Decr. Clementis. Oppositum tenet *Merullus* apud illos, dicens, in relatis insulis Decretum Clementis practicari, *v. tom.* 2. *num.* 292.

3477 Ex dictis colliges, Confessarios Regulares absolvere posse à casibus S. Officii, satisfacta parte, modo dicto *in tom.* 2. *n.* 641. *ad* 644. nisi contineant hæresim formalem externam, nec contineantur in Bulla Cœnæ, nec sint intra Italiam, de aliis sex. nec Episcopis sint reservati. Mendo *in Epit. verb. Regulares n.* 28.

3478 Demùm Pelliz. *de Monialib. cap.* 2. *num.* 19. docet Confessarios Regulares etiam intra Italiam posse absolvere Moniales non sub

subditas à quinque casibus à Clem. VIII. reservatis, quatenùs prohibitio absolutionis est facta solùm respectu pœnitentium sæcularium, minimè Regularium. At hoc non probo, quia prohibitio est facta respectu pœnitentium exterorum absolutè, ut patet ex verbis Decr. de anno 1601. *in n.* 3471.

Vide *tom* 2. *à num.* 291.

3479 Obiter hìc refero privilegium Pauli III. per Bullam 48. *Licèt debitum* 18. Octobr. 1549. concessum Generali Societatis Jesu, & per communicationem Generalibus aliorum Ordinum, ut sequitur.

§. 33. (Et ut cùm aliquos ex fratribus, seu Sociis Societatis hujusmodi in Saracenorum, & Paganorum, aliorumque infidelium terras, & Provincias aliàs remotissimas, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit; possit eis auctoritate nostra facultatem concedere, ut Christianos ibidem commorantes, Confessione peccatorum suorum audita, & pœnitentia salutari injuncta, eos, & eorum quemlibet ab omnibus, & singulis eorum peccatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini reservatis, & consequentibus censuris, & pœnis absolvere.)

§. 34. Et cum iis, qui ab infidelitate convertentur tantùm, & in locis remotissimis, qui priùs in gradibus non licitis, tamen lege divina non prohibitis, matrimonium contraxerant, ut in iisdem manere possint, dispensare.

§. 35. Ac in locis prædictis remotissimis, quæcumque Ecclesias, Hospitalia, & alia pia loca, prout expediens fuerit, erigere, ac nunc, & pro tempore erecta reformare, sine alicujus præjudicio, & vestes Sacerdotales, pallas, corporalia, calices, altaria, cœmeteria (si Episcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non adsit) benedicere, ac profanatas Ecclesias reconciliare possint. Et quæcumque statuta, & ordinationes, desuper necessaria facere, illaque, postquàm facta fuerint, mutare, alterare, ac illis addere, & detrahere.

§. 36. Ac Præposito Provinciali in illis longinquis partibus residente decedente, interim dum alius per Generalem Præpositum mittitur, loco Præpositi sic decedentis, alium eligere liberè, & licitè valeant.

§. 37. Et quia in numerosis populis illarum Regionum, tanta est Sacerdotum raritas, ut unus plurium curam populorum suscipere debeat, ut bis eodem die Missam celebrare diversis in locis valeat.

3480 Ubi nota, Privilegium absolutionis de §. 33. non revocari per Bullam 115. Clem. VIII. *Quæcumque.* 7. Decembr. 1604. relatam *n.* 3464. quia Bulla Clem. expresè loquitur de locis fidelium, & Orbis Christiani, ubi sunt Episcopi Catholici.

3481 Similiter Innoc. IV. apud Bullar. Rodr. Bulla 20. concessit Sacerdotibus Ordinis Minorum, ut in terris infidelium Christianorum ibi commorantium Confessiones audire, & à peccatis, atque censuris absolvere possint.

DE POTESTATE IN CENSURAM RESERVATAM OB VIOLATIONEM CLAUSURÆ.

3482 Clausura violatur per ingressum mulierum, aut virorum in Monasteria Monialium, vel mulierum in Monasteria virorum, & per egressum Monialium à suis Monasteriis.

QUOAD INGRESSUM

3483 Tres sunt censuræ, videlicet excommunicationes latæ sententiæ in jure fulminatæ.

Prima est Conc. Trident. *sess.* 25. *de Regul. & Monialibus cap.* 5. contra viros, & mulieres cujusvis conditionis, sine Superioris licentia in scriptis ingredientes Monasteria Monialium.

3484 Secunda est Greg. XIII. per Bullam 28. *Ubi gratia.* 24. Junii 1575.

3485 Tertia est lata à Clem. VIII. per Decretum de anno 1602. relatum *n.* 3472. contra violantes clausuram Monialium ad malum finem. Et de hac non debet esse sermo; quia cùm sit reservata Rom. Pontifici extra Urbem & intra Italiam, cum exclusione privilegiorum, certum est, Confessarios Regulares extra Urbem, & intra Italiam, non posse ab ea sæculares absolvere.

Pelliz. de Monialibus *cap.* 5. *n.* 20. docet hanc censuram, & reservationem Clem. VIII. non afficere Moniales; sed solùm ipsos ingredientes ad malum finem; quia in ea Monialis se habet passivè, & ponitur ut terminus, minimè ut subjectum.

3486 Prima igitur censura Tridentini incurritur, etiam si ingressus non sit ad malum finem, nec prætextu licentiarum; sed nulli est reservata: unde potest absolvi à quolibet simplici Confessario, qui tamen reperiatur ad Monialium Confessiones excipiendas deputatus; quod semper in hac re est supponendum ex Bulla Clem. X. *n.* 3292.

3487 Secunda censura Greg. XIII. incurritur, etiam si ingressus non sit ad malum finem, ab omnibus mulieribus cujusvis conditionis, & ætatis, usum rationis habentibus, ingredientibus Monasteria virorum, & ab omnibus viris, & mulieribus cujusvis conditionis, ingredientibus Monasteria Monialium.